

ANDRELINO (Fausto)

CARMINA ALIA (32 vers)

## AD SANCTUM ROCHUM UT URBEM PARISIENSEM A PESTILENTIA TUEATUR

CA\_1 v.1 Non ita predator ruit hostica miles in arva,  
 2 ut ruit in nostrum pestis acerba caput.  
 3 Ac veluti subito dejectae turbine frondes,  
 4 saucia letali vulnere turba cadit.  
 5 Nullus Paeoniis aeger relevatur ab herbis  
 6 facta Machaonia cura nec arte juvat.  
 7 Ulcera quis sanet divino immissa furore ?  
 8 Non facit ad nostras plaga superna manus.  
 9 Tu potes optatam solus praebere medelam  
 10 et, pie, succensum flectere, Rocche, Deum.  
 11 Praesidiine clausa tui sit janua quaeso,  
 12 sed misero pandas limina tota choro.  
 13 Namque solet pietas populum miserata jacentem  
 14 excipere ac tepido quemque fovere sinu.  
 15 Caerea sanatis ponetur imago catervis  
 16 assiduasque ferent in tua templa preces.  
 17 Quaelibet ignare pandenda est gratia genti,  
 18 debet et auctori vita recepta suo.

## DE IMMATURO REVERENDISSIMI DOMINI LEGATI OBITU HEXASTICON

CA\_2 v.1 Hic defuncte jaces, deflet quem tota, Georgi,  
 2 Gallia, tam magno tristis et orba patre.  
 3 Invida Mors tantum fausto decus abstulit orbi.  
 4 Heu ! longa est summis vita negata viris.  
 5 Gloria sed vivit, nullum moritura per aevum :  
 6 indomita virtus inclita morte caret.

## EIUSDEM DE EODEM TETRASTICHON

CA\_3 v.1 Illustris Gallo nituit qui splendor in orbe,  
 2 hic habet Ambosius corpora functa pater.  
 3 Si tanto non saeva viro Libitina pepercit,  
 4 quid speret sacri cetera turba chori ?

## DE EODEM

CA\_4 v.1 Pastor eram, eheu, populi pater, aurea sese

2           lilia subdebant, quercus et ipsa mihi.  
3   Mortuus en jaceo, morte extinguuntur honores,  
4           at virtus mortis nescia morte viret.